Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

Titelblatt

urn:nbn:de:gbv:45:1-770553

Visual Library

IN
Q. CICERONIS
DE. PETITIONE
CONSVLATVS
AD. M. TVLLIVM. FRATREM
LIBRVM
VALERII. PALERMI. VERONENSIS
COMMENTARIVS

Landesbibliothek Oldenburg

IO. BAPTISTAE
FOSCARENO
IACOBI. FOSCARENI. EQVITIS
ET. D. MARCI. PROCVRATORIS. F.
VALERIVS. PALERMVS
S. P. D.

INSTITVERAM olim, ex quotidianis ſcholae obſeruationibus, commentarium quendam conſcribere, in Q. Ciceronis de petitione conſulatus libellum. De eoq. eram cum Aldo Mannuccio, quocum mihi uetus intercedit neceſſitudo, collocutus; cum ille, qui tanta cum laude ſemper litterarum ſtudioſis fauit, quanta cum omnium admiratione litterarum ſtudia coluit, auctor mihi fuit, ut hunc ipſum iam inchoatum abſoluerem, abſolutum expolirem, atque ederem. Ego igitur, etſi aliud ab initio cogitaram, doctiſſimi hominis, mihiq. amiciſſimi auctoritate permotus, & ſupremam manum operi addendam, & animum etiam ad editionem applicandum, ſi cui forte ea res uſui futura eſſet, cenſui. In ea autem cogitatione, cum illud inſuper (ut fit) coepiſſem deliberare, cui nam potiſſimum laborem hunc meum, qualiſcumque eſſet, dedicarem; cui & res ipſa per ſe, & magis etiam, ut a me miſſa, conuenire uideretur; ſic demum ſtatui: nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, noſtro tempore accommodatius eſſe poſſe, quam Venetis. Neque omnibus tamen aeque, ſed nobilibus tantum, & reip. adminiſtrationem capeſcentibus. Apud quos, cum Romanae libertatis, dignitatiſq. imago cernitur non obſcura, tum honores ipſi, ratioq. eorum obtinendorum, non adeo eſt antiquae diſſimilis. Nam, uere ut loquamur, ubi tales, tamq. praeclari magiſtratus urbani, ſeu prouinciales, iuſtis comitijs mandantur, quos operae pretium ſit eo ſtudio petere, ac labore, quo petendos docet hic libellus, praeterquam Venetijs? Vbi